



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xxxx [i.e. iii]. Sed modus peculiaris substantialis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



cunquē mutari & recipere novum effectum formalem; non tamen unio est passio, si per pati intelligatur influere in genere causæ materialis; unio enim non est talis influxus materiæ in formam.

III. Verùm unio est modus, utpote actualis determinatio materiæ & formæ de se indifferentium ad esse uniti; substantialis, utpote ingrediens constitutionem totius substantialis. Dum ergo dicitur ab Aristotele, materia uniri formæ immediatè, sensus est, quòd nihil mediet *ut quod*, non, quòd etiam nihil mediet *ut quo*, sive quo uniantur: ipsa verò unio unitur materiæ & formæ, etiam nullo *ut quo* mediante; quia non est indifferens, ut illis uniatur, vel non uniatur; posset tamen aliqua unio per modum extremi uniri alteri extremo per aliam unionem, sicut unio animam inter & corpus Christi unitur Verbo per unionem hypostaticam. Porrò licet unio Petri includat prædicatum diversum, nimirum quòd sit affixa partibus Petri, ab unione Pauli, quæ est affixa partibus Pauli, & non Petri; cùm tamen hæ partes diversæ non sint speciei, diversa hæc prædicata inter has duas  
unio-



uniones distinctionem non inferunt specificam.

IV. Unica in composito est unio totalis & essentialis (esse tamen plures uniones partium integralium, certum est, & probabilius, tot dari uniones partiales, quot dantur formæ partiales) & non duplex, una se tenens ex parte materiæ, altera ex parte formæ; unica enim unio, siue ea subiectetur in materia, & respiciat formam, ut purè terminum, siue subiectetur in forma, siue creetur, & in nullo extremorum subiectetur, sed respiciat utrumq; ut purè terminū, æquè propriè, strictè & perfectè unit materiam formæ, quàm formam materiæ, & utriq; extremo æqualiter communicat suum effectū formalem, qui est constituere illud, quod unit, componens compositū cum altera comparte; implicat siquidē, constituere materiam componentem unum cum forma, quin æquè constituat eo ipso formam componentem unum cum materia. Hic itaq; conceptus: *materia componens unum cum forma*: non dicit unionem subiectatam in materia, sicut nec hic: *forma componens unum cum materia*: unionem subiectatam in forma, cum maneant iidē conceptus, et h